



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

12. Olympius Eremita, quid tolerârit, ne cruciatus æternos toleraret?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

ni, quibus damnatos cruciabunt. Est enim numerus annorum, immò s̄eculorum illorum, sine numero; cùm enim sit sine termino, nequit numerari; adeò ut neque Deus ipse, in eo numero numerando annum, aut s̄eculum ultimum possit inuenire. Quippe post millies millia millionum annorum enumerata, non erit finis, sed iterum totidem sunt enumeranda; & si denuò centies millies millia millionum enumerantur, non solùm ad ultimum annum vel s̄eculum non peruenitur; sed restat adhuc tantum. Quid dico, tantum? Tam longa adhuc s̄eculorum series restat, ac si nihil de ea transiisset; neque vñquam tam longa series transire poterit, quin nihil sit, si cum ea, quæ supererit, æternitate comparetur. Fuit Cain arsique jam per quinque millia annorum, in inferno, quantum decessit illi de æternitate? Nihil prouersus, perinde ac si hodie eò esset detrusus, ita illi restat æternitas. Et, si hinc post centum millions annorum, annos computemus, idem erit. Quasi enim nihil poenarum antecessisset, sed eo primùm die, fiammis addiceretur, ita adhuc restabit æternitas suppliciorum.

Horum igitur suppliciorum numerum, mensuram & pondus, si in vnam lancem coniçiamus, morbos autem quoscumque in alteram, an non dicemus, sapienter fecisse illos Sanctos, qui non tantum censuerunt, m̄rbos esse beneficium & donum Dei, sed etiam ipsi ultro huius vitæ dolores, & morbos, & miseras elegerunt, ne pondus æternitatis sustinere cogerentur?

Apud Ioannem Moschum legimus, in cœnobio Gerasimi ad Iordanem, senem fuisse, Olympium nomine, admirande patientiæ eremitam; qui in tam angusta obscuraque & misera cella habebat, vt cauea potius quam cella posset appellari. Ibi, præter tenebras, & ergastuli squalorem, incredibilis etiam æstus à solis flagrantia, & cyniphes muscæque inuolantes eum exagabant. Ibi ergo Olympium aliis quispiam Dei seruus, vt moris erat, inuisit, interque fermocinandum interrogavit: Quo modo in huius carceris angustijs, & tanto solis ardore, atque tot cyniphum muscarumque aculeos sustinens posset perdurare? Cui patientiæ suæ causam aperiens respondit Olympius: Fili, hac lenia sunt, sic cum aeternis conferantur: carcerem hanc patior, ne in-

## XII.

Ioan. Mosch.  
cap. 141.

T t ater-

330 Cap. XXXI. Patientia morbos desiderantium.  
eternum illum carcerem includar; tenebras fero, ne mittar in illas te-  
nebras exterioras; cynipes & muscas has sustineo, ne vermem sentiam  
non moritur; astum tolero, ut effugiam ignem sempiternum.

XIII. Sic Sancti senserunt, qui morbos molestiasque huius vite  
ultra appetiuerunt, cum quibus si saperemus morbos doloresque  
saltem à Deo immisso, longè & quiore animo acceptaremus, &  
lachrymantes vel præ tristitia peccata nostra deploraremus, quæ  
nos æternis illis tormentis objecerunt; vel præ gaudio, quod  
Devs, nos ab innumeris æternisque tormentis liberaturus, occa-  
sionem morbi nobis dederit, qua paucis & brevibus molestijs  
patienter perferendis, immortales illas infinitasque pœnas polli-  
mus compensare. Pausanias legitur, reos, perpetuo carcere,  
tremebus, gladio, laqueo, rogo, & crudelissimo suppicio di-  
gnos, non aliter puniuisse, quam ut eos anchoræ ferreæ alliga-  
tos, per aliquot horas, populo spectandos exponeret. Pro qua  
clementia utique par erat, ut rei gratias magnas referrent, cre-  
debantque, se in mitissimum judicem incidisse, eamque pœnam  
suam felicitatem vocitabant. Quam felices se existimare, &  
quas laudes gratiarumque actiones persoluere Deo illi debent,  
qui nōrunt, se ob sua tam enormia & multa flagitia justissime  
æternis addici incendijs potuisse; & tamen eorum vice, eundem  
contentum esse, ut breuem morbum, leuem & tolerabilem do-  
lorem, afflictionemque momentaneam exhaustant. Et denique,  
quantuscumque sit in morbo cruciatus, tamen non est æternus,  
sicut est ille damnatorum. Possunt ergo jure dicere omnes agro-  
ti: *Hec lenia sunt, si cum æternis conferantur.* Illi autem, qui  
bus omnia fluunt ex voto, qui nihil morbi, nihil aduersi sen-  
tiunt, sed in delicijs natant, & fortunam semper fauentem  
& arridentem habent, meritò cum sene illo dicent, *Dereliquit*  
*nos DEVS, & non visitauit nos:* aut cum S. Augustino; *Hic ure,*  
*hic seca, ut in æternum parcas.* Quæ cantio etiam Lydwine  
fuit familiaris, cuius omittere, hoc loco, men-  
tionem, nefas esset.



CAPVT